

1509 *lum, quod denuncias, propulsaturi cum diis immortalibus sumus, quos ille vindices habiturus est, aut hic, aut apud manes, rupti per scelus fœderis.* Hoc responso accepto est dimissus: ac ne quis eum violaret, quos itineris comites a reipublicæ magistratibus adveniens habuerat, iidem sunt reducere atque in regis finibus sistere illum jussi.

Brixiani, ubi de captis oppidis & præfectis nunciatum est, concilio civitatis coacto milites sex mille sua pecunia legere decreverunt, atque ad legatos mittere. civisque unus ex iis Aloisius Avogarius, sexcentos milites se celeriter confessurum, magistratibus est pollicitus, eosque sine ullo reipublicæ impendio menses quatuor in exercitu habiturum. quod quidem Brixianæ civitatis factum, plenum fidei atque benivolentiae, postea Veronenses æmulati, quinquaginta auri libras exigí ab se se, atque in milites ad exercitum mittendos stipendiis nomine distribui concilio coacto statuerunt. Galli eo successu cohortati inter se Caravagium capere aggressi, ubi oppidanos quique oppidum custodiebant milites apertis exire ad prælium portis magno cum clamore ingentique tubarum sono e propinquo videbunt, veste atque argento temere ubi confederant relicto, se se fugæ mandaverunt. Domi autem Patribus pecunia in bellum eroganda sollicitis, præter tributa alia de hoc quoque Senatusconsultum factum est, & quidem solito fieri superioribus in bellis altero tanto gravius: uti a magistratibus urbanis sex mensium stipendia integra reipublicæ remittantur: reliquorum vero compendiorum, quæ omnino ex jurisdictione ipsa, vel ex portoriis fraudatis, vel quacunque alia ex re ad eos redeunt, media pars in ærarium inferatur, quadragintaviralibus judiciis exceptis, quibus unis media stipendiorum pars maneat, propterea quod aliunde nihil lucrantur: magistratus autem provinciales, & arcium præfecti, intra sinum Phanaticum qui sunt, medium stipendiorum partem reipublicæ remittant, reliquis in rebus eadem, qua urbani, lege teneantur. Horum autem magistratum urbanorum & provincialium omnium juris interpretes, & scribæ, ministrique, medium & ipsi cum sti-
pen-